

S. P. D.

Nobilissime vir, amice summe.¹

Caetera bene, nisi quod insignis patriae calamitas luctuosissimam nobis reddit peregrinationem nostram, cum ubique metum, aerumnas, cogitationes tristissimas nobiscum circumtulerimus. Hoc nempe actum est per defensores istos, quibus tempus istud non egebat, ut post adempta nobis omnia vitae praesidia, patria etiam ipsa, pravioribus consiliis an turpiori fuga ignoro, adimeretur.² Sed est Deus immortalis, qui res fortunasque nostras ut in solido brevi, neque enim dubitandum est, collocabit, ita paterno hactenus animo puniit non immerentes. Nostrum est, arrectius cogitare, quid instet, quorum opera mature prensanda, quibus remediis corrigendum sit malum, quod cum tempore incrementum sumit. Prima contagii labes ab illis, qui hostes pro amicis, amicos pro hostibus hucusque habuerunt et ne nunc quidem habere desistunt. Itaque non ipsi solum metum servitutis publicae segniter a foederatis suis ac provinciis abarcent, verum etiam cruentis consiliis obstantes, quibus possunt modis impediunt et labefactant. Scis, quos intelligam, e quorum heri numero quidam³ primariae notae affirmare mihi ausus est, se nunquam passurum, ut herus heic suus nimium tribuat illis, qui a Septentrione huc digressi maius illi iugum minentur altero ab Austro, quod longe clementius esset. Equidem, quid clementiam vocet, ignoro: quam vero benigne habita sit hactenus patria nostra, posthabitis omnibus promissis ac pollicitationibus, orbis terrarum novit. Audiuntur tamen ista, me vide,⁴ et in speciem creduntur: sed diversa omnia dies pauci aperient. Est enim in mundo, unde asseramur.

Bannierius⁵ quidem statim erumpet, et allectis Guilielmi Vinariensis⁶ aliisque variis ex locis legionibus fortiter haud dubie faciet, necquicquam ringentibus iis, qui cunctando desistunt rem. Id pessime nos habet, praefectos praesidorum, qui Lignicii, Glogoviae, Landisbergi ac alibi fuerunt,⁷ Suecorum partibus non adhaesisse, resistantibus fortiter iis, qui in d. Iohannis insula,⁸ Bregae, Opolii Namslaviaeque adhuc morantur, quorum constantiam (ut et meretur) alteri mirare et ad invidiam usque semper extollunt.⁹ Comes Turrianus¹⁰ diu est cum [666] Francofurtum ad Moenum venit, nullo cum strepitu et satellitio; ne illum tripudiis populi ob triumphatos hostes exceptum putes. Inde in aquas Wisbadenses concessit, cum tamen hoc frigus aetatis, huius ad Trandorfium mandati maculas vel Thetys ipsa non eluat omnibus undis. Apologiam etiam edidit, quibus res ad Steinam gestas excusare conatur, sed stilo plumbeo, adeo nullum illic acumen invenies. Sunt heic etiam qui responsum parant, dignum mehercle ad patellam operculum.¹¹ Meliora alibi, dum Hassus¹², Kniphusius¹³ et caeteri bonarum rerum actores hostibus ostendunt, se extra adulationem illis infensos esse. Hornius¹⁴ ante dies aliquot, ut heri perscribitur, Francofurti fuit, colloquii cum illustrissimo Oxenstiernio gratia; et nunc suas copias Bernardi Vinariensis¹⁵, qui victoriis suis quacunque venit, omnia complevit, exercitui iungit, ut impetum a Bohemia imminentem celerioribus viribus retundant.¹⁶ Interea littus Danubii et Bavaria satis bona hibernorum occasio sunt, neque enim illic esuritur. Wallensteinium¹⁷ fecisse, quod diu minatus est, rumor constans ab aliquot diebus fuit, neque nunc diversa nuntiantur. Si res ita se habet, non invidemus illi terram,